



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

26.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

nimis clarus est pro hac opinione textus  
 cap. *In audientia* 35. de sent: excom: quod sic  
 habet: *Huiusmodi Clerici si à Prælati suis ter-*  
*tio moniti militaria noluerint arma depõere, de*  
*privilegio Clericorum subsidium aliquod habere*  
*non possunt.* Idem habetur cap: ult: de vita &  
 honest: Cleric. cap. *contingit* 45. de sent: excom:  
 Nec obstat citatum cap. *perpendimus*, quia  
 rescriptum Pontificis hoc tantum vult,  
 quod interfectores Sacerdotis ad Apo-  
 stolicam sedem adire non cogantur pro  
 obtinenda absolutione, ut ex verbis clarè  
 constat: & rationem adfert textus, *quia*  
*talis Sacerdos non propulsando, sed inferendo*  
*injuriam occisus est.*

26. Itaq; Clericus etiam in enormissi-  
 mo crimine deprehensus nisi postquam  
 ter monitus est, ut incorrigibilis curiæ sæ-  
 culari tradendus erit. *Clemens III. cap. de*  
*judic: contra Felin.* Excipe casus, quibus ip-  
 so jure Clericus etiam non incorrigibilis  
 curiæ sæculari tradi potest. quorum pri-  
 mus, si Clericus hæresis crimine sit infe-  
 ctus. cap. *ad abolendam. de hæret.* secundus  
 si falsarius deprehendatur literarum Apo-  
 stolicarum. cap. *ad falsariorum de crim: falsi-*  
 tertio

tertius si notatus in crimine Assassinii. *cap.*  
*1. de homicid: in 6.*

27. Extra quos casus licitum non erit  
 curiæ seculari Clericum degradandum  
 committere, etiam ob similitudinem &  
 paritatem rationis. Quia ratio legis non  
 est lex & interpretatione legum, pœna mollien-  
 da potius, quàm exasperanda sunt, quia odia  
 restringi, & favores ampliari convenit.  
 Ergò etiam si in alio casu, iure non expres-  
 so eadem ratio militet, adhuc extensio le-  
 gis fieri non debet, ad casum lege non  
 comprehensum.

28. Quæ doctrina non tantùm locum  
 habet in constitutionibus pœnalibus irri-  
 tatoriis, sed etiam in correctoriis, quia  
 correctio legum odiosa est: ergò quan-  
 tum fieri potest vitanda est, *L. precipimus*  
*C. de appell:* ergò ab uno casu ad alium ex-  
 tendenda non est. *Gloss: Authent. quas actio-*  
*nes C. de SS. Eccles: Barbosa L. si constante 25.*  
*ff. solut: Matrim: num: 101.* Idemq; pari ra-  
 tione procedit in legibus exorbitantibus,  
 tùm quia hæ leges assimulantur dispensa-  
 tionibus, & ex privilegiis, quæ extensio-  
 nem non patiuntur. *L. quod verò ff. de leg:*  
*& cap:*